

I.

Quid de peccati originalis natura et propagatione iudicaverit s. Augustinus.

Quamvis varia ac multiplicia omni aetate hominum studia fuerint, tamen haud scio an ulla aetate in magis diversas partes ii viri abierint, qui in litteris, philosophicis praecipue, versabantur quam nostra. Quum enim ex viris doctis alii recentiorum libros scriptaque ad coelum evehant, ex iisque pleno quasi haustu sapientiam, sive haec pantheistica sive theistica est, imbibi posse contendant, alii, qui maxime gravitatis religionisque speciem prae se ferunt, solos dicunt antiquitatis vel potius medii aevi libros evolvendos esse ex quibus sapientiam sumas. Neutra sententia mihi quidem omni ex parte vera esse videtur. Nam neque animi humani cultus qui nunc est, propter perpetuum continuumque eius progressum nulla superioris veterisque aetatis animi cultus ratione habita recte intelligi novisque incrementis augeri poterit, neque quod inde a medii quod vocatur aevi fine ad nostram usque aetatem tempus intercessit plane negligi, quaeque eius temporis viri docti gravia egregiaque scripsere, prorsus omitti possunt. Hoc quidem poscere nonne idem foret ac si quis tot recentioris temporis publicis privatisque inventis abrogatis ad pristina instituta pristinumque vitae genus redire vellet? Accedit et illud quod, si philosophia recentiore omnino abiecta medii tantum et veteris aevi armis contra adversarios pugnabis, obtusa tu illa quidem nec quidquam profutura reperies. — Ac mihi semper utrumque et veteris philosophiae et recentioris studium inter se coniungendum esse videbatur, ut qua ex parte iustos fines haec transgreditur, ab illa coerceatur, illa ubi nimis angustis terminis circumscripta est, ut huius progressibus augetur. Tali enim modo et vetustati suus remanebit honos et nostra aetas gravi peritaque antiquitatis manu ad certum finem perducetur.

Iam inter antiquos christianae quidem religionis philosophos s. Augustinum nemo infitias ibit primum locum obtinere, quippe quem quasi medium recte dicas constitutum inter philosophiam gentilem, cuius singula momenta, Platonis praesertim doctrinam, quam maxime perspecta habebat, et christianam, cuius ipse auctor est, quem philosophi scholastici in rebus difficillimis se sequi saepius profitentur. Et recte hi quidem; universae enim philosophiae quaestiones diversissimi generis, ad quas Augustinum continuae cum variis adversariis rixae perducebant, tanta facilitate tantaque perspicuitate solvit, ut philosophi posterioris temporis quae ad eas respondit, omnino adoptare, aut si quid fortasse erravit, facillime emendare, fundamentis certe ab eo positis omni ex parte scholas suas superstruere possent. — Quum mihi igitur huius scriptionis annuae conficiendae munus delatum esset, quominus rem mere philologicam tractarem temporis angustiis impeditus, s. Augustini, in quo pertractando diutius versatus eram, de peccati originalis natura et propagatione sententiam exponendam mihi proposui, haud quidem rem a viris doctis ad varium finem perductam prorsus a me finitum iri confisus, sed illud tantum expositurus, quod mihi vel ipsum vel qui eius doctrinam litteris mandarunt legenti hac de re in mentem venit. Quamquam in omnibus s. Augustini scriptis materiam nostram sparsim tractatam reperies, illi tamen libri, quos contra Pelagium eiusque socios peccatum originale negantes confecit, maximi hic momenti sunt: De peccatorum meritis et remissione libri tres, de gratia Christi et de peccato originali libri duo, de nuptiis et concupiscentia libri duo, de anima et eius origine libri quatuor, magnum illud opus imperfectum contra Julianum, cuius quum sex libros conscripsisset, quominus perficeret morte impeditus est, retractationum denique libri duo. Ex recentioribus vero, qui de s. Augustino scripti sunt, libris maxime usus sum Gangaufii illo scripto doctissimo: *Metaphysische Psychologie des h. Augustin* et Mayeri libro accurate et erudite perscripto: *Ueber das Wesen und die Fortpflanzung der Erbsünde*.

Deus quum propter naturae suae infinitatem summum bonum et ideo, quoniam maius, ad quod se relicto deficere possit, non habet, summum quoque moraliter bonum sit, ipse nec physice nec moraliter mali auctor esse potest. a) Itaque

a) »Deus velle non potest malum, quoniam est omnino immutabilis.« Op. impf. contr. Jul. I, 101. »Et ideo ista natura non potest omnino peccare, quia non potest se ipsa deserere nec meliorem habet cui debeat inhaerere et cuius possit desertione peccare.« I. I. V, 31. Ceterum haec sententia saepissime occurrit in libris contra Manichaeos scriptis, qui mali originem ad ipsam naturam divinam referre studebant.

quaecunque ab eo creantur, per se bona sunt, quumque res naturales statum suum ipsae mutare non possint, malum non nisi ex libera creaturae ratione praeditae voluntate proficiscitur, b) unde male agendi seu peccandi facultatem recte in eo sitam esse asserit Augustinus, quod creatura libera a deo sibi superiore desciscere eumque libera voluntate, qua deo sese dare debeat, perverse directa deserere studet. »Deficere namque ab eo quod summe est, ad id quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam.« c) Quum igitur malae actionis causa efficiens mala voluntas sit, ipsius malae voluntatis causa reperiri nulla potest, quoniam quas a deo creatore deficiens res creatas appetit, illae quidem bonae sunt, appetendi autem ratio mala; malae voluntatis causam perspicere velle idem est, ac si quis caligines videre vel silentium audire vellet, quae sane oculis vel auribus non tam per formam quam per defectum percipiuntur. d) Quamvis eodem modo malum in re bona defectus, bonique privatio sit e), non tamen mere negativae naturae est: actio est enim aliqua contra legem divinam directa. »Est factum vel dictum vel concupitum contra legem divinam.« f) Eandem definitionem accuratius etiam expressam, singulorum quae in peccato occurrunt momentorum ratione habita, ita profert: »Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat et unde liberum est abstinere.« g) Utramque definitionem si coniungere velimus (»Peccatum est libera transgressio legis divinae«), eandem habemus, quae nunc quoque ubique proponitur, h) quamquam termini illi technici qui vocantur, ut »peccatum actuale«, »peccatum habituale« et alii huiusmodi, quum posteriore demum tempore reperti sint, apud Augustinum nondum occurrunt. Quo vero modo peccatum in homine et concipiatur et perficiatur, egregie his verbis Augustinus exponit: »Nam tria sunt quibus im-

b) »Non intelligunt, si naturale est, nullo modo esse peccatum.« de civ. dei XI, 15. »Malumque illud, quod quaerebam unde esset, non est substantia, quia si substantia esset, bonum esset.« Conf. VII, 12.

c) Cf. de civ. dei XII, 7. cf. Op. imperf. contra Jul. V, 31 modo I. et ibid. 38: »Angelus ergo vel homo propterea peccare potuit, id est isto dei munere quod est liberum arbitrium male uti potuit, quia non est deus, hoc est de nihilo factus est a deo, non de ipso deo.«

d) »Huius porro malae voluntatis causa efficiens si quaeratur, nihil invenitur. Quid est enim quod facit voluntatem malam, quum ipsa faciat opus malum? Ac per hoc mala voluntas efficiens est operis mali, malae autem voluntatis efficiens est nihil.« de civ. dei XII, 6. cf. ibid. 7 et 8.

e) »Amisio boni mali nomen accipit.« de civ. dei XI, 9. »Nomenque hoc non nisi privationis boni.« ibid. 22. — f) contra Faust. XXII, 27. — g) Op. imperf. contra Jul. I, 47. — h) Cf. Gury compend. theol. mor. p. 43.

pletur peccatum, suggestione, delectatione et consensione. Suggestio sive per memoriam fit sive per corporis sensus, quum aliquid videmus vel audimus vel olfacimus vel gustamus vel tangimus. Quo si frui delectaverit, delectatio illicita refracanda est; velut quum ieiunamus et visis cibis palati appetitus assurgit, non fit nisi delectatione, sed huic tamen non consentimus et eam dominantis rationis iure cohibemus. Si autem consensio facta fuerit, plenum peccatum erit, notum deo in corde nostro, etiamsi factum non innotescat hominibus.ⁱ⁾ Libera illa voluntatis assensio ad peccatum perficiendum tam necessaria est, ut deficiente illa peccatum non sit ipsaque demum haec assensio factum aliquod contra legem divinam directum culpabile reddat.^{k)} — Quam posteriore loco dedimus definitionem, ita illustrare studet, ut inter peccatum, poenam peccati et utrumque coniunctum discernat. Primi generis exemplum praebet Adam^{l)} legem divinam transgrediens, alterius in eo est quod quis (lege divina ante violata) patitur; tertii generis exemplum in eo reperiri potest, quod quis sive per ignorantiam sive prava concupiscentia devictus peccat.

Peccati actualis natura ita proposita nunc iam ad peccatum habituale pervenimus. Vel ex distinctione inter peccatum et poenam peccati modo allata, quum poena sine culpa cogitari omnino nequeat, facili coniectura s. Augustinum rectam peccati habitualis notionem habuisse perspicere potest. Et revera singulari modo eius peccati naturam describit contr. Jul. VI, 19: »Sed quaero te quum et ipse concedas peccati facti atque transacti reatum manere, nisi sacro fonte diluatur: dic mihi reatus iste quis sit et ubi maneat iam homine correcto recteque vivente, nondum tamen peccatorum remissione liberato? Subiectum est reatus iste i. e. substantia sicut spiritus, sicut corpus an in subiecto sicut febris aut vulnus

i) de serm. dom. in monte. I, 12. — k) »Nec esse peccatum nisi pravum liberae voluntatis assensum, quum inclinamus ad ea quae iustitia vetat et unde liberum est abstinere.« de gener. ad litt. III, 1. »Nec tamen omnem defectum esse culpabilem, sed solum voluntarium, quo anima rationalis ad ea quae infra illam sunt condita creatore suo deserto declinat affectum.« Contra Secund. Manich. 15. — l) I. enim I. his verbis pergit: »Ac per hoc si tria ista discernas, et scias aliud esse peccatum, aliud poenam peccati, aliud utrumque, id est ita peccatum ut ipsum sit etiam poena peccati, intelligis quid horum trium pertineat ad illam definitionem, ubi voluntas est agendi quod iustitia vetat et unde liberum est abstinere.... Horum sane trium generum si requirantur exempla, primi generis in Adam sine ullo nodo quaestionis occurrit.... Secundi autem generis ubi tantummodo est poena peccati, exemplum in eo malo est, quod quisque ex nulla parte agit, sed tantummodo patitur.... Tertium vero genus ubi peccatum ipsum est et poena peccati, potest intelligi in eo qui dicit: Quod nolo malum, hoc ago. Ad hoc pertinent etiam omnia quae per ignorantiam quum aguntur mala, non putantur mala vel etiam putantur bona.«

in corpore sive avaritia vel error in anima? In subiecto esse dicturus es, neque enim reatum affirmabis esse substantiam. In quo igitur tibi videtur esse subiecto? Cur quaeram quid respondeas et non potius verba tua ponam? »Actu, inquis, praetereunte manet eius reatus in illius conscientia qui deliquit donec remittatur.« Ergo in subiecto est, hoc est in animo eius, qui deliquisse se meminit et scrupulo angitur conscientiae, donec fiat delicti remissione securus. Quid si obliviscatur se deliquisse nec eius conscientia stimuletur, ubi erit reatus ille, quem transeunte peccato remanere concedis donec remittatur? Non est certe in corpore, quia non est eorum accidentium, quae accidunt corpori: non est in animo, quia eius memoriam delevit oblivio et tamen est. Ubi est igitur quum iam bene vivat homo nihil tale committens, nec dici possit, eorum peccatorum eius reatum remanere quae meminit, eorum vero quae oblitus est, non manere? Manet quippe omnino donec remittatur. Ubi ergo manet nisi in occultis legibus dei, m) quae conscriptae sunt quodammodo in mentibus angelorum, ut nulla sit iniquitas impunita nisi quam sanguis mediatoris expiaverit, cuius signo crucis consignatur unda baptismatis, ut ea diluatur reatus tamquam in chirographo scriptus, in notitia spiritualium potestatum, per quas poena exigitur peccatorum.« Locus hic egregius, quippe qui profundissime peccati actualis et habitualis naturam et vim illustret, recte ut intelligatur, primum quid sit apud Augustinum »reatus« et »reatus peccati« inquiramus. Omnino a scriptoribus latinis reatus status atque conditio eius hominis nominatur, qui ob aliquod delictum, sive hoc verum sive falsum est, in ius vocatur, qui alicuius delicti accusatus est, ut »in reatu esse« saepius occurrit, tum metonymice accusatio quoque culpaque ipsa nec non cultus corporis eius qui in ius vocatus est, reatus vocatur. Cf. Georges vocab. lat. ea voce. Hinc patet reatum peccati qui, donec (reatus) remittatur, in occultis dei legibus manet et ob quem poena peccatorum exigitur, nihil aliud apud s. Augustinum esse posse, quam aut ipsam culpam peccato patrato coortam et usque permanentem aut τὸ ἡμαρτηρέναι seu conditionem eius hominis, qui quum peccata commiserit, propterea suo merito apud deum quasi accusatus et culpa onustus est, ob quam ut poena infligatur, divina iustitia poscit. Atque illa quidem significatio eo fulcitur, quod proprio dicendi usu culpa et peccatum id est quod remittitur, quae remittendi notio quum sane ad

m) cf. Deuteronom. XXXII, 34—35: »Nonne haec (delicta sc. in antecedenti parte poetice recensita) condita sunt apud me et signata in thesauris meis? Mea est ultio et ego retribuam in tempore« etc.

hunc statum transferri possit, posterior explicatio ferri posse videtur, quamquam si a solis verbis ad eorum sensum animum convertis, in verbis »reatus peccati« culpa peccato contracta ob oculos tibi versabitur. Haud enim merum poenae reatum, quo quidem sensu nunc eo dicendi genere non ita raro viri docti utuntur, Augustinum intellexisse, quum omni poenae reatui reatus culpae suppositus sit, et iam per se patet et apertissime ex his Augustini verbis (quae, ut hoc addamus, loci longioris modo laudati sensum, quatenus peccatum habituale, quod nos dicimus, agitur, in formam brevioris redactum continent) apparet: n) »Nam sicut eorum peccatorum quae manere non possunt, quoniam quum fiunt praetereunt, reatus tamen manet et nisi remittatur, in aeternum manebit, sic illius (sc. originalis peccati) quando remittitur, reatus aufertur. Hoc est enim non habere peccatum reum non esse peccati,« quae quidem verba eo magis tibi valebunt, si culpam illud esse tecum reputaveris, quod aliquem defectum peccatum reddit. o) Simul ex hoc loco perspicue apparet, quid sit reatus peccati, quum reatum habere idem esse dicat quod reum esse peccati. — Ut iam breviter eorum quae exposuimus sensum referamus: »Omne peccatum, quod est libera divinae legis transgressio, per se quidem eo solum quo peragitur momento manet. Peccato peracto reatus peccati, culpae illa deum inter et hominem intercedens ratio esse incipit, quae, donec haec culpa remittatur, in dei iusti eamque ob causam punientis scientia inscripta permanet, quamquam peccatoris quoque ipsius conscientiae, donec eius obliviscatur, inscripta est.«

Quum ita s. Augustinus inter peccatum quod dicimus actuale et habituale seu reatum culpae post peccatum remanentem clare distinguat, non minus perspicue utrumque ab illa animi conditione discernit, qua multis peccatis iteratis sensim proclivitate aliquam in peccatum homo nanciscitur, quae quidem animi conditio ipsa quoque alia sane, quam qua modo »habitualis« vocabulo usi sumus, significatione habitus peccati vocari potest. p) Per se quidem solus ille actus peccatum

n) de nupt. et concup. I, 29. — o) Cf. contra Secund. Manich. 15. quem locum iam supra laudavimus. — p) de perfect. iust. cp. 2: »Quaerendum est, quid est peccatum, naturale an accidens. Si naturale, peccatum non est. . . . Respondetur, naturale peccatum non esse, sed naturae. . . . Iterum, ait, quaerendum est, quid est peccatum, actus an res. . . . Respondemus, peccatum quidem actum dici et esse, non rem. . . . Sed etiam in corpore claudicatio eadem ratione actus est, non res, quoniam res pes ipse vel corpus vel homo est, qui pede vitiatum claudicat, nec tamen vitare potest homo claudicationem nisi habeat sanatum pedem. Quod etiam in interiore homine fieri potest, sed gratia dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Ipsum sane vitium quo claudicat homo nec pes est nec corpus nec homo nec ipsa claudicatio, quae utique

est; sed sicut claudicatio pedis per se actus dici potest, qui donec sanatum pedem homo habeat, permanet, ita peccatum quoque animo qualitatem quandam iniungit, qua, etiam quando eiusmodi nihil agit, tamen dispositio aliqua seu proclivitas ad peccatum illi inest. — Non minus peccatum ipsum habituale et actuale distinguit ab eius sequelis et poenis, id quod ex distinctione illa inter peccatum, poenam peccati et quod sit utrumque supra allata abunde apparet.

Quum igitur peccati actualis naturam in libera legis divinae transgressione possisset, habituale autem peccatum rationem illam culpabilem transgressione hominem inter et deum coortam esse affirmasset, pro qua iustitia divina non posset non poenas infligere aeternas, quumque peccatum ipsum utrumque et a poenis pro eo dandis et ab animi in peccatum proclivitate disiunxisset, egregiam sibi ad peccati originalis naturam recte expediendam viam patefecerat, cuius tamen vestigia concupiscentiae pondere, quae quum omnibus hominibus insita sit, tum Augustino inveni, Manichaeorum blanditiis irretito, non minime dura domina fuerat, oppressus non ita diu pressit. Iam existentia peccati originalis tam aperte ex innumeris s. Augustini locis patet, ut ea quidem longiore demonstratione non egeat, idque eo minus in eo viro, qui totius ecclesiae suae aetatis q) hac de re doctrinam defendendam ac propugnandam sibi sumpserat contra Pelagium eiusque socios nunc etiam hominem asserentes in eodem statu nasci, in quo fuerit Adam ante peccatum, „Non ego finxi, inquit Augustinus, peccatum originale quod catholica fides credit antiquitus, sed tu, qui hoc negas, sine dubio es novus haereticus.“ r) Quum definitio peccati originalis certa et firma, quam nec hodie ecclesia habet, s) in s. Augustini scriptis nulla reperitur, eius naturam investigaturis ad rationem modum-

non est, quando non ambulat, quum tamen insit vitium, quo fit claudicatio quando ambulat. Quaerat ergo quod eidem vitio nomen imponat, utrum rem velit dicere an actum, an rei potius qualitatem malam, qua deformis actus existit. Sic et in homine interiore animus res est, rapina actus est, avaritia vitium est, i. e. qualitas secundum quam malus est animus, etiam quando nihil agit, unde avaritiae suae serviat, etiam quando audit, non concupisces, seque vituperat et tamen avarus manet.“ — q) Contra Jul. Pelag. I, 5.: „Tu interim habes in conspectu non solum occidentis verum etiam orientis episcopos. Nam qui nobis deesse videbantur, plures orientis invenimus. Omnes uno eodemque modo credunt, per unum hominem peccatum intrasse in mundum et per peccatum mortem, et ita in omnes homines pertransiisse, in quo omnes peccaverunt: qui modus hic est, ut peccato illius unius hominis primi omnes nasci credantur obnoxii.“ — r) de nupt. et concup. II, 12. — s) Mayer l. c. p. 16.

que nobis respiciendum est, quo singula eius peccati momenta describit, e quibus quum duo imprimis, reatus et concupiscentia emineant, de utroque, deque utriusque inter se coniunctione breviter nobis disserendum est.

Cui chirographo supra vidimus inscriptum esse reatum omnium peccatorum, ut nulla sit iniquitas impunita, „huic chirographo, l. l. Augustinus pergit, nascuntur obnoxii omnes in carne, de carne, carnaliter nati, eius ab hoc delicto sanguine liberandi, qui in carne quidem et de carne, non tamen carnaliter, sed spiritualiter natus est.“ t) Quum „chirographo divino obnoxium nasci“ ex totius loci connexione nihil sit, quam „reatum peccati ab ortu habere“, hunc autem reatum culpabilem inter deum et hominem intercedentem rationem esse cognoverimus, omnes reatu seu culpa onusti nascuntur. Quo autem peccato onusti nascimur, quo reatu implicati sumus, eamque ob causam poenae obnoxii detinemur, id ex Adami voluntate, qua legem divinam transgressus est, originem habet. u) Hoc inde potissimum probare studet, quod quibus Adam ex peccato commisso affectus est sequelis, easdem nobis omnibus inesse videmus. Maximis enim omnis generis calamitatibus hominum vita primo ab ortu circumdata est, quae eadem omnes Adami peccatum secutae sunt, quaeque innocentes parvulos, si peccatum ipsum seu reatus Adami eis non inesset, propter dei iustitiam, qua culpam sane remittere, innocentes autem poenis affligere non potest, obruere non possent. v) Si porro haec omnia mala sine reatu nobis insunt, deus ab his hominem defendere aut non potest aut non vult. w) Itaque „Reatus iste originis et scriptura sancta proditur et ipse se prodit.“ (op. imperf. contra Jul. II, 119.) Ex his propositis clare elucet, Augustinum peccatum seu reatum peccati distinguere ab eius poenis et sequelis, quae, quamquam ipsae quoque homini insunt, non tamen cum reatu sunt confundendae. A personalibus, ut

t) Cf. contra Jul. Pelag. VI, 19. — u) retract. I, 13.: „Quasi vero peccatum, quod omnes ex Adam dicimus originaliter trahere, id est reatu eos implicatos et ob hoc poenae obnoxios detineri, usquam esse potuerit nisi in voluntate, qua voluntate commissum est, quando divini praecepti facta est transgressio.“ — v) „Namquam dicturus es, grave iugum super parvulos unde sit iustum, si non trahunt originale peccatum.“ Op. imperf. contra Jul. II, 107. „Non erat iustum sine crimine transire supplicium.“ l. l. 63. cf. 66. „Bonus est deus, iustus est deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia iustus est.“ Contra Jul. Pel. III, 18. Ipsas quoque calamitates, quibus hominum vita inde a parvulis dedita est, saepe copiosius describit. — w) „Vos autem negantes originale peccatum profecto cogemini dicere, deum vel invalidum vel iniustum, sub cuius potestate imago eius in parvulis sine ullo vel proprii vel originalis peccati merito tantis affligitur malis.“ Contra Jul. Pelag. VI, 21. Cf. op. imperf. contra Jul. I, 49.

hac voce utar, peccatis, in quibus illi tantum, quorum peccata sunt, pro se quisque legem divinam transgrediuntur, eo distinguendum est originale peccatum, quod in hoc »omnes peccaverunt quando omnes ille unus homo fuerunt.« x) Neque tamen eo minus vere et proprie peccatum est, quod ex libera primi hominis voluntate processit. y) Liberamur autem ab hoc reatu seu ab hac culpa baptismi sacramento, quo ut omnium peccatorum, ita huius quoque, licet maneant quae cum peccato ipso coniuncta sunt, fit remissio. z) Ipsa vero haec originalis culpa multo »grandior quam iudicare nos possumus«, immo tanta est, ut vel sola ad condemnationem aeternam sufficiat, id quod Augustinus de pecc. merit. et rem. I, 14. his verbis exposuit: »Immo vero nos intelligamus Apostolum et videamus, ideo dictum iudicium ex uno delicto in condemnationem, quia sufficeret ad condemnationem etiamsi non esset in hominibus nisi originale peccatum.« a) — Ex hac Augustini de magnitudine culpae originalis sententia, quid de sorte infantium non suscepto baptismi sacramento decedentium habuerit, facile elucet. Etenim ad ignem aeternum hos infantes damnatum iri docet, quaeque contraria est sententia, non dubitat haeresim Pelagianam nominare. b) Eo tamen severum hoc iudicium mitigat, quod poenam in gehenna his infantibus perferendam lenissimam omninoque eiusmodi futuram asserit, ut has poenas perferre, quam non esse melius sit. c) Sed tamen poena illis est perferenda, cuius qualitas et quantitas accuratius statui non potest. d) Huc canon quoque ille spectat, qui inter concilii Milevitani contra Pelagianos secundi canones

x) »Si enim peccatum intellexeris, quod per unum hominem intravit in mundum, in quo omnes peccaverunt, certe manifestum est, alia esse propria cuique peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata sunt, aliud hoc unum in quo omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt.« de pecc. mer. I, 10. — y) »Respondeo: ex voluntate peccatum est. Quaerit forte, utrum et originale peccatum. Respondeo: prorsus et originale peccatum, quia et hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, ut et in illo esset et in omnes transiret.« de nupt. et concup. II, 28. »Voluntarium peccatum hominis primi originalis est causa peccati.« ibid. 26. — z) de nupt. et conc. I, 29. »In eis ergo, qui regenerantur in Christo, quum remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus etiam huius licet adhuc manentis concupiscentiae remittatur, ut in peccatum sicut dixi non imputetur.« — a) de nupt. et conc. II, 34. »Hoc autem peccatum, quod ipsum hominem in paradiso in peius mutavit, quia multo grandius quam iudicare nos possumus, ab omni nascente trahitur, nec nisi in renascente remittitur, ita ut etiam de parentibus iam renatis in quibus remissum atque tectum est, trahatur in reatum nascentium filiorum, nisi et ipsos quos prima carnalis nativitas obligavit, secunda spiritalis absolvat.« — b) Cf. de pecc. merit. et rem. I. 16. Serm. 294. n. 3. Berlage: Katholische Dogmatik. tom. V. p. 367. — c) Cf. de pecc. mer. et rem. I. l. contra Jul. V, 44. — d) Cf. epist. 131 ad Hieronym.

tertio loco in nonnullis saltem codicibus reperitur: »Item placuit, ut si quis dicit, ideo dixisse dominum: In domo patris mei mansiones multae sunt, ut intelligatur, quia in regno coelorum erit aliquis medius aut ullus alicubi locus, ubi beate vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in regno coelorum, quod est vita aeterna, intrare non possunt, anathema sit. Nam quum dominus dicat: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non intrabit in regnum coelorum; quis catholicus dubitet, participem diaboli fieri eum, qui cohaeres esse non meruit Christi? Qui enim dextra caret, sinistram procul dubio incurret.« Ad severum quod modo Augustinum de his infantibus iudicium ferre vidimus, respicientes non possumus, quin de origine huius canonis Rittero assentiamur, qui (hist. ecc. tom. I, p. 221) haec de eo habet: Da dieser Canon ganz im Geiste des h. Augustin abgefaßt ist, nicht aber die Lehre der Kirche genau ausdrückt, so hat ihn jener wahrscheinlich vorgeschlagen, die Bischöfe aber mögen ihn verworfen haben.

Iam priusquam peccati originalis naturam, qualem Augustinus proposuerit proferamus, quid de concupiscentia senserit, quaeque huic cum peccato originali ratio intercedat, nobis videndum est; res eo difficilior, quo magis varia virorum doctorum hac in re de Augustino iudicia circumferuntur, quum alii in sola concupiscentia Augustinum peccatum originale posuisse asserant, alii in Augustini de peccati originalis natura doctrina proferenda nullam concupiscentiae rationem habeant, alii denique peccatum originale concupiscentiam cum reatu coniunctam esse affirmant. Sed primum haec Augustini de concupiscentia verba afferamus (de pecc. orig. 39.): »Obesset illa carnis concupiscentia etiam tantummodo quod inesset, nisi peccatorum remissio sic prodesset, ut quae in eis et nato et renato, nato quidem inesse et obesse, renato autem inesse quidem, sed non obesse possit. In tantum enim obest natis, ut nisi renascantur, nihil possit prodesse, si nati sunt de renatis. Manet quippe in prole, ita ut reum faciat, vitium originis, etiamsi in parente reatus eiusdem vitii remissione ablatum est peccatorum, donec omne vitium, cui consentiendo peccatur, regeneratione novissima consumatur.« Priorem quidem huius loci partem si per se spectamus, negari sane non potest, concupiscentiam peccatum originale esse, sed ita tamen, ut culpam vel reatum simul in se habeat (»nato quidem inesse et obesse, renato autem inesse quidem, sed non obesse possit«). At statim vitium seu damnum (detrimentum) aliquod, quod omnes ab Adamo trahimus, concupiscentiam vocat, quocum vitio ab initio reatus remissione peccatorum auferendus coniunctus est, quodque ipsum, si illi consentitur, ad peccatum perducit. Ut igitur hoc loco concupiscentiam vitium originale, a peccato seu reatu originali

perbene distinguendum, vocavit, sic alias eandem „malum peccati in quo nascitur omnis homo“ appellat, hoc est malum, quod aut ex peccato profluit aut cum peccato seu reatu coniunctum est. e) Concupiscentiam, „vitium originis,“ quam eandem malum originale appellat, a peccato seu reatu originali clare Augustinum distinguere, haec quoque eius verba (contra Jul. Pel. III, 26) docent: „Hoc originali malo (sc. concupiscentia) etiam parentes illorum rei nati sunt, etsi ab hoc reatu renascendo sunt liberati.“ Quum enim, quod infra videbimus, concupiscentia in generationis actu summopere quasi inflammata peccatum originale propagetur, hoc loco in verbis „hoc malo originali rei nati sunt“, vocabulum „malo“ ablativus qui vocatur instrumenti intelligendus est; praeterea „reus“ casum sextum nunquam habet secum coniunctum. Itaque originale malum a reatu distinguit. Quod igitur aliis locis de malo originali disserit, quibus acerbitatibus ac miseriis eo possidendo afflicti simus exponens, hoc non tam de ipso peccato originali, quam de solius concupiscentiae possessione intelligendum est. f) Unum adhuc Augustini locum addamus, ex quo reatum seu peccatum originale a concupiscentia distinguendum esse luce clarius patet. De pecc. enim mer. et rem. II, 9 haec leguntur: „Concupiscentia tamquam lex peccati manens in membris mortis huius cum parvulis nascitur, in parvulis baptizatis a reatu solvitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nulla damnatione persequitur, parvulos non baptizatos reos innectit et

e) de pec. mer. et rem. I, 19: „Bonum ergo coniugii non est fervor concupiscentiae, sed quidam licitus et honestus illo fervore utendi modus, propagandae proli, non explendae libidini accommodatus. Quod igitur in membris mortis huius inobedienter movetur totumque animum in se deiectum conatur attrahere et neque quum meus voluerit acquiescit, hoc est malum peccati, in quo nascitur omnis homo.“ — f) Contra Jul. Pel. III, 21: „Ex ista et cum ista (carnis concupiscentia) nascitur homo, bonum dei opus, non sine malo, quod trahit origo generationis et sanat gratia regenerationis.“ (Hoc non necessario de peccatorum remissione, quae baptismi sacramento fit, intelligendum esse, sequitur ex ea doctrina catholica, quam Augustini quoque fuisse mox videbimus, qua singulorum hominum tum quod ad corpus, tum quod ad animum pertinet, redemptio perfecta sensim peragitur et novissimo die una cum ipsius terrae redemptione finitur.) „Ac per hoc recte a me dictum est (de nupt. et conc. I, 1): Ita nuptiarum bonum malo originali quod inde trahitur, non potest accusari, sicut adulteriorum et fornicationum malum bono naturali, quod inde nascitur, non potest excusari. Bonum enim naturale dixi quod mecum ipse collaudas, malum autem originale dixi cuius (sc. concupiscentiae) motibus mecum repugnas et cuius contra me laudibus pugnas. Non est malum, quod natus es, sed cum quo natus es et contra quod spiritualiter dimicas, quia natus es.“ ibid. 22. „Quid ergo a me quaeris, ubi originale malum, quum in te ipso verius tibi loquatur libido, contra quam pugnas.“

tamquam irae filios, etiamsi parvuli moriantur, ad condemnationem trahit.“ Si cui forte postrema haec verba aliquid dubii excitent, in memoriam sibi revocet concupiscentiam propagandi peccati originalis quasi instrumentum esse, id quod iam supra diximus, infra copiosius probabimus. In universum si quis iis maxime quae iam attulimus loca, innixus concupiscentiam, malum originale, peccatum originale idem esse affirmat, is, si sibi constare voluerit, etiam in baptizatis peccatum originale remanere affirmabit, id quod nec Augustinus nec ecclesia catholica unquam docuit. g)

Quum igitur omnes homines reatu ex libera Adami voluntate coorto onustos nasci eumque a concupiscentia diversum esse cognoverimus, nunc quaenam ratio inter utrumque intercedat, nobis exponendum est. Hoc commodissime ita institutum, ut simul peccati originalis naturam explanemus. Augustinus distinctione inter peccatum, poenam peccati et quod sit utrumque proposita l. l. his verbis pergit: „Proinde originale peccatum nec ad illud pertinet, quod primo loco posuimus, ubi est voluntas malum operandi unde liberum est abstinere, alioquin non esset in parvulis, qui nondum voluntatis utuntur arbitrio; nec ad illud quod secundo commemoravimus; de peccato enim nunc agimus, non de poena, quae non est peccatum, quamvis peccatum merito subsequatur: quam quidem patiuntur et parvuli, quia inest eis corpus mortuum propter peccatum, non tamen mors corporis ipsa peccatum est vel corporales quicumque cruciatus: sed pertinet originale peccatum ad hoc tertium genus, ubi sic peccatum est, ut ipsum sit et poena peccati, quod inest quidem nascentibus, sed in eis crescentibus incipit apparere, quando est insipientibus necessaria sapientia et mala concupiscentibus continentia; origo tamen etiam huius peccati descendit a voluntate peccantis“ Latiore, quam quem supra peccati habitualis naturae inesse cognovimus, sensu mihi quidem videtur hoc loco Augustinus peccati originalis notionem intellexisse ita ut, quum per se solus peccati ab Adamo commissi reatus sit, simul poenam complectatur; hac autem poena haud obscure concupiscentia designatur („quod inest quidem — continentia“). Ne quis fortasse solam concupiscentiam intelligat, monent et quae supra de reatu originali exposuimus et illud vel maxime, quod aperte peccatum a voluntate Adami descendens appellat. Itaque Augustino peccatum originale est reatus coniunctus cum concupiscentia, quae per se sola poena peccati est. h) Hinc multa Augustini loca,

g) Cf. Conc. Trid. sess. V. can. 5: „— tolli totum id quod veram et propriam rationem peccati habet“ —. — h) de pecc. orig. 34: „Ita quidquid est pudendum in membrorum illa in-

quae nisi hanc peccati originalis latiore notionem statuimus, quomodo explicari possint non video, plurimum lucis obtinent. Hinc v. gr. concupiscentiae cum reatu coniunctae et peccati originalis notionibus tamquam synonymis utitur, ut de nupt. et conc. I, 29: »In eis ergo, inquit, qui regenerantur in Christo, quum remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus etiam huius licet adhuc manentis concupiscentiae remittatur, ut in peccatum sicut dixi non imputetur. Nam sicut eorum peccatorum, quae manere non possunt, quoniam, quum fiunt, praetereunt, reatus tamen manet et nisi remittatur, in aeternum manebit: sic illius quando remittitur, reatus aufertur. Hoc est enim non habere peccatum reum non esse peccati.« i) Idem de pecc. orig. 39, quem locum supra attulimus, dicendum est, quo loco intimam coniunctionem inter reatum illum et concupiscentiam esse primo obtutu quisque concedit. Illud tamen omnino addendum est, quum duo momenta peccatum originale constituent, minime s. Augustinum semper de utroque loqui, sed alterutrum prout dat occasio magis singulis locis elucere. Quam ita de peccati originalis natura sententiam proposuimus, eo etiam firmatur, quod concupiscentiam peccati seu reatus propagandi quasi instrumentum esse mox videbimus.

Quum igitur ex duobus momentis Augustini sententia peccatum originale, reatu et concupiscentia constare viderimus, quod quidem ad prius illud spectat, haud dubie illud recte se habere inde apparet, quod omne peccatum habituale in reatu vel ipsius Augustini sententia ponendum esse cognovimus; verum etiam in solo reatu. Quae enim post peccatum commissum in homine cooriuntur animi corporisque mala, haud illa quidem aliud quam peccati sequelas vel in poenam peccati a iustitia divina missas vel ex humana debilitate coortas habere possumus.

obedientia, de qua erubuerunt, qui post peccatum foliis ficulneis eadem membra texerunt, non nuptiis imputatur, propter quas concubitus coniugalis non solum est licitus, verum etiam utilis et honestus, sed imputatur peccato inobedientiae, cuius haec poena est consecuta, ut homo inobediens deo sua quoque sibi inobedientia membra sentiret.« — i) Eodem modo concupiscentiae et reatus inter se rationem de pecc. merit. et rem. II, 46 his verbis exponit: »Ne mireris quod dixi manente concupiscentialiter lege peccati reatum eius solvi per gratiam sacramenti. Sicut enim facta et dicta et cogitata iniqua, quantum ad ipsos motus animi et corporis pertinent, iam praeterierunt et non sunt; iis tamen praeteritis et non tum existentibus reatus tamen eorum manet, nisi peccatorum remissione solvatur, sic contra in hac non iam praeterita, sed adhuc manente lege concupiscentiae reatus eius solvitur et non erit, quum fit in baptismo plena remissio peccatorum.«

Quas inter sequelas quum concupiscentia quoque referenda sit, quod eam Augustinus cum reatu coniunctam peccatum originale esse statuit, in eo mihi quidem minus recte egisse videtur. Quod enim peccati notioni latiore sensum subiecit, ita ut sit et ipsum peccatum et poena peccati, certe alias quoque peccati poenas aut omnes intelligere aut saltem gratiam sanctificantem amissam, qua si praediti nasceremur, magnum ab ortu concupiscentiae remedium haberemus, commemorare debuisset. Recensentur sane ab Augustino cetera quoque peccati originalis sequelae et poenae, ut mors corporis (de genes. ad litt. VI, 25), mentis obscuratio (enarr. in ps. 37), voluntatis debilitas (ibid. 58), gratiae sanctificantis seu „iustitiae“ amissio (de civ. dei XIII, 15), quas omnes sequelas (de civ. dei I. I.) mortis vocabulo complectitur; sed hoc addendum est, eas in variis Augustini scriptis sparsas reperiri, quibusque locis de peccato originali quasi ex proposito agit, eas prae concupiscentia infinite recedere, ita ut ne minima quidem cogitatio, Augustinum peccatum originale in omnibus peccati sequelis cum reatu coniunctis collocasse, oriatur. Gratiae autem sanctificantis amissae notio in peccati originalis natura proponenda posterioribus quidem et theologis et philosophis scholasticis tanti momenti visa est, ut peccatum originale „amissionem gratiae sanctificantis homini inesse debita“ passim definirent. Ceterum sacra scriptura et ecclesia catholica, quamquam neutra ullo loco certam definitionem proposuerit, tamen si ad sensum eorum respicis, quae hac de re utraque statuit, non est dubium, quin utraque peccatum originale in solo peccati Adamitici reatu ponat. Ad sacram scripturam quod attinet, videsis Hiob 14, 1—4 ubi causa agitur, cur omnes homines tantopere a iusto deo puniantur, idque vel ii, qui nullius culpae personalis sibi conscii sint; atque eam quidem scriptor in eo sitam ait, quod omnes de immundo semine concipiuntur, i. e. ex primo existentiae suae momento culpam dei iram provocantem in se habeant. Ps. 50, 7. David proprio delicto reatum originale opponit. Cff. epist. ad Ephes. II, 3 et ad Rom. V, 12—19 ibique Bispingii commentarios. Ecclesiae magisterium, concilia Romanorumque pontificum decreta semper loquuntur de remissione peccati ex Adamo contracti k), de ipso Adami peccato, non solis poenis transeuntibus l), de culpa et poena ex Adamo contracta m), componunt peccatum originale cum personali et utriusque poenam proferunt n), quod utrumque baptismo remittatur o), eorum autem animas, aiunt, qui in mortali pec-

k) Conc. Milev. I, can. 2. — l) Conc. Arans. II, 2. — m) Capit. Abael. a Conc. Sen. et ab Innoc. II. damn. 9. — n) Innoc. III. lib. III. decret. tit. 42. cp. 3. — o) Prof. fid. praescript. Waldens.

cato vel cum solo originali decedant, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniri. p) Reatum culpae a genere humano contractum ex parte dei iusti ac sancti non potest non ira et poena aeterna sequi, unde suo iure Augustinus parvulos sine baptismo mortuos aeterna poena affici affirmat. Sed quod de natura et gradu huius poenae tradit, hoc eo mitigandum accuratiusque definiendum esse docet ecclesia, ut, quum poenarum genus duplex, alterum sensus, alterum damni sit, hoc solum parvulis illis perferendum esse dicamus. q) Quam poenam damni (Rectius fortasse poenam negativam vocaveris, cui opponitur positiva, aeterna miseria) si theologi in eo ponunt, quod, quum qui ab omni peccato liberati moriuntur, supernaturali felicitate fruituri sint, parvuli illi naturali sola felicitate fruuntur, hoc omnino addendum esse videtur, compertam habere eos existentiam felicitatis supernaturalis, qua qui fruuntur, ipsi digni non sint. Cuius enim rei existentiam non novi, ea orbatum esse, mihi poena esse non potest.

Iamiam ad alteram disputationis nostrae partem, quid de propagatione peccati originalis Augustinus senserit, venimus. Quam quaestionem antequam solvere aggrediamur, ut recto fundamento nitamur, nobis videndum est, quid Augustinus de animi origine senserit, unde in duas partes haec quaestio dividitur.

Dificillima haec de animi origine quaestio et Augustino ipsi responsu et nobis quid responderit expositu, quippe quem omnes fere viri docti, cui ipsi hac in re sententiae assentiuntur, eiusdem testem et auctorem laudent. Ipse quidem Augustinus, quos quatuor de anima eiusque origine libros confecit, eorum argumentum his verbis affert r) (retract. II, 56): „Eodem tempore quidam Vincentius

p) Prof. fid. Mich. Palaeol. prop. et a conc. Ludg. approb. Conc. Flor. — q) Prop. syn. Pist. damn. a Pio VI, n. 26. — r) Speciale horum librorum argumentum recentissimae editioni Parisiensi (opp. s. Augustini tom. X, p. 693 sqq.) his verbis propositum reperies: „In libro primo ad Renatum scripto demonstrat suam de animae natura sententiam et de eiusdem origine cunctationem iniuria reprehendi a Victore. Iuvenilem coercet hominis arrogantiam, quem in errores graves ac inauditos, dum quaestionem solvendam suas vires excedentem suscipere audet, prolapsus ostendit, atque ipsum, ut statuat animas non ex propagine fieri, sed novas singulis nascentibus insufflari, scripturarum testimonia conferre ambigua nec ad eam rem satis idonea. In secundo Petrum admonet, ne committat, ut libros de animae origine a Victore ad ipsum scriptos laudando approbasse aut quae temere iuvenis ille pronuntiavit fidei christianae contraria, pro dogmatibus catholicis habere existimetur. Errores Victoris varios eosque gravissimos notat et verbis confutat paucis. Petro demum ipsi suadet, ut Victorem ad eos corrigendos adducat. In

Victor in Mauritania Caesariensi invenit apud Hispanum, quendam presbyterum Petrum nonnullum opusculum meum, ubi quodam loco de origine animae hominum singulorum, utrum ex illa una primi hominis ac deinde ex parentibus propagentur, an sicut illi uni sine ulla propagatione singulae singulis dentur, me nescire confessus sum; verumtamen scire animam non corpus esse, sed spiritum. Et contra ista mea ad eundem Petrum scripsit ille duos libros, quos mihi de Caesarea Renatus monachus misit. Quibus ego lectis responsione mea quatuor reddidi, unum ad Renatum monachum, alterum ad presbyterum Petrum, et duos ad eundem Victorem. Sed ad Petrum quamvis habeat libri prolixitatem, tamen epistola est, quam nolui a tribus ceteris separari. In iis autem omnibus, in quibus multa necessaria disseruntur, defendi de origine animarum, quae singulis hominibus dantur, cunctationem meam et multos errores atque pravitates praesumptionis eius ostendi. Hinc apparet Augustini de animae origine sententiam, vel ubi quasi de professo hanc materiam tractat, inter generatianismum et creatianismum, qui vocantur, suspensam fuisse. s) Et hanc quidem dubitationem usque ad extremum vitae retinuit; postremo enim vitae anno „Nam quod, inquit, attinet ad eius originem, qua fit ut sit in corpore, utrum de illo uno sit, qui primum creatus est, quando factus est homo in animam vivam, an similiter ita fiant singulis singuli (sc. animi), nec tunc sciebam nec adhuc scio.“ (Retract. I, 1, 3.) Neque difficultates, quibus utraque de animi origine sententia subiecta est, ab Augustino celantur. In generatianismo enim ne cum Tertulliano in materialismum incidas, summopere cavendum est; sed evitato etiam materialismo hoc semper mirum manet, quomodo alia ex alia anima fiat vel traducatur. „Nam et illi, inquit (epist. 190 ad Opt. cp. 4.), qui animas ex una propagari asserunt, quam deus primo homini dedit atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt et corpulentis seminibus exoriri, quo per-

tertio ad ipsum Victorem scripto monstrat, quatenus in suis Victor libris emendare debeat, si velit haberi catholicus, eaque ipsius placita et paradoxa in superioribus ad Renatum et Petrum libris iam confutata hoc tertio libro perstrinxit breviter et ad undecim errorum capita revocat. In quarto ad eundem Victorem libro primum cunctationem suam de animarum origine immerito culpari seque ab ipso, quia nihil hinc definire ausus sit, iniuria pecoribus comparari demonstrat. Deinde vero quod incunctanter asseveravit, animam spiritum esse, non corpus, hoc temere etiam improbari a Victore, ut animam corpoream natura sua et spiritum ab ipsa anima in homine distinctum esse, inani conatu propugnet.“ — s) Cf. praeterea epist. 190 ad Opt. I. de genesi ad litt. X, 21. de pec. mer. et rem. II, 36. III, 10.

versius quid dici potest? Neque hoc Tertullianum somniasse mirandum est, qui etiam ipsum creatorem deum non esse nisi corpus opinatur. Qua dementia repulsa a corde atque ore christiano, quisquis animam, sicuti est, non esse corpus sed spiritum confitetur et tamen in filios ex parentibus duci, in eo quidem nullis coartatur angustiis, quod omnes animas etiam parvulorum, quos ecclesia non utique in falsam, sed in veram remissionem peccatorum baptizat, vera fides praedicat trahere originale peccatum propria primi hominis voluntate commissum et in omnes posteros generatione transmissum, sola regeneratione purgandum: sed quum considerari et pertractari coeperit, quid dicatur, mirum si ullus sensus comprehendit humanus, quonam modo tamquam de lucerna lucerna accendatur et sine detrimento alterius alter inde ignis existat, sic anima de anima parentis fiat in prole vel traducatur in prolem: utrum incorporeum semen animae sua quadam occulta et invisibili via ex patre currat in matrem, quum fit conceptus in femina, an, quod est incredibilius, in semine corporis lateat.“ Ceterum sicut in creatianismo immediate, ita in generatianismo quoque quamvis mediate deus animarum auctor est, eodemque iure eas dare quo corporis sensus ac formam dare recte dicitur. t) — Quum igitur his causis quominus generatianismum amplecteretur, prohiberetur, quae in generatianismo nihil haberet difficultatis, peccati originalis propagatio („in eo quidem nullis coartatur“ cett. l. supra l.), haec maxime, quominus creatianismum verum haberet, obstabat. Facillime enim, qui creatianismo favet ideoque novas animas corporibus insufflari contendit, ad unum ex his quatuor scopulis appellitur: aut enim deum alienum parvulis peccatum imputare dicit, aut parvulos sine baptismo mortuos ad regnum coelorum pervenire posse contendit, aut simul animarum praexistentianismo favet, aut denique parvulos asserit a deo puniri propter peccata, quae, si diutius vixissent, futurum fuisse, ut commisissent, deus praevidisset. u) Sacrae quoque scripturae

t) »Ipse quippe dat, etiamsi de propagine dat. Quia et corporis membra et corporis sensus et corporis formam et corporis omnino substantiam ipse hominibus dat, quamvis ex propagine det.“ de an. et eius orig. I, 16. — u) »Quamobrem quicumque volunt defendere, quod dicuntur animae novae nascentibus insufflari, non de parentibus trahi, aliquid eorum quatuor, quae supra commemoravi, caveant omni modo: hoc est, ne dicant a deo fieri animas peccatrices per alienum originale peccatum, ne dicant parvulos, qui sine baptismo exierint, pervenire posse ad vitam aeternam regnumque coelorum originali peccato per quodlibet aliquid resoluti, ne dicant animas peccasse alicubi ante carnem et hoc merito in carnem peccatricem fuisse detrusas, ne dicant peccata, quae in eis inventa non sunt, merito fuisse punita, quum ad eam vitam, ubi ea committerent, permissae non fuerint pervenire.“ de an. et eius orig. I, 34.

testimonia, quae pro utraque sententia afferri possunt, recenset (de genes. ad litt. X, 6 sqq.) quumque res ambigua manere videatur, (l. l. cp. 10) addit: „Quonam modo per divini eloquii testimonia ista quaestio solvatur, ignoro.“ Tota denique hac recensione finita (cp. 23): „His, inquit, quantum pro tempore potuimus, pertractatis omnia paria vel paene paria ex utroque latere rationum testimoniorumque momenta pronuntiarem, nisi eorum sententia, qui animas ex parentibus creati putant, de baptismo parvulorum praeponderaret.“ Quamquam multa loca pro creatianismo afferri posse videntur, haec tamen omnia in generatianismi favorem intelligi possunt, v) neque quidquam probant, quam „nos habere animarum nostrarum deum datorem, creatorem, formatorem. Sed quomodo id faciat, utrum novas eas flando, an de parentibus trahendo, non exprimunt.“ (de an. et eius orig. IV, 11.) Nihil igitur certi ea de re in sacra scriptura reperiri potest. w) Optabat sane s. Augustinus, ut creatianismus satis firmo fundamento fulciri posset seque ait libenter eum amplexurum, x) sed semper ad eam difficultatem redit, quam peccati originalis propagatio habeat, praesertim quum Pelagiani creatianismo nisi peccati originalis existentiam negabant, quorum haeresim, si in creatianismo eius propagationem probare potuisset, radicitus sustulisset. y)

Peccatum originale cognovimus esse reatum cum concupiscentia coniunctum, illum quidem ex Adami voluntate coortum, hanc tamquam poenam delictum sequentem; tum de animae origine Augustini iudicium vidimus inter generatianismum et creatianismum suspensum; illo autem posito denique facilius, quam hoc peccati originalis propagationem explicari posse. Quod igitur de animarum origine, idem de peccati originalis propagatione dicendum est. Quum enim ipse Augustinus li-

v) „Scripturarum vero testimonia quaecunque posuit, quibus animas deum non ex illius prima propagine attrahere, sed sicut ipsam primam suas quibusque singulis insufflare, velut probare conatus est, ita sunt, quod ad istam quaestionem attinet, incerta et ambigua, ut etiam aliter accipi, quam ipse vult, facillime possint.“ l. l. II, 14. — w) „Aliquid ego certum de animae origine nondum in scripturis canonicis comperi.“ epist. 190 ad Opt. cp. 5. — x) „Ecce volo, ut illa sententia mea sit, sed nondum esse confirmo.“ De an. et eius orig. I, 4. „Nam licet nemo faciat optando, ut verum sit, quod verum non est, tamen si fieri posset optarem, ut haec sententia vera esset.“ epist. ad Hieron. 166. cp. 8. — y) de an. et eius orig. I, 34 post verba supra laudata ita pergit: „Nihil ergo istorum quatuor dicentes, quoniam quodlibet eorum falsum atque impium est, inveniant etiam scripturarum de hac re certissima testimonia et hanc sententiam suam non solum me non vetante, verum etiam favente et gratias agente defendant.“ Cff. epist. 166 ad Hier. cp. 11 et de Pelagianis epist. 190 ad Opt. cp. 6. de pecc. mer. et rem. III, 10.

beraliter hac in re ignorantiam suam fatetur,^{z)} tum sane modum aliquem propagationis ei, quam modo exposuimus, peccati originalis naturae accommodatum proponit, ita tamen ut aliis locis haud obscure alium pro egregia illa ac sublimi sententia, quam supra de peccato atque culpa divinae angelorumque menti, donec remittatur, inscripta evolvimus, propagationis modum saltem suspicetur. — Quod supra diximus concupiscentiam primorum parentum peccati poenam esse, hoc quidem eo omnino proferendum est, ut illorum quidem peccati poenam, nostrorum autem et originalis et priorum causam ansamque eam esse dicamus. „Ergone, inquit Augustinus, ex huius concupiscentiae motu illi non erubescerent homines primi, quo et ipsi apparebant homines noxii et eorum filii peccato parentum praenuntiabantur obnoxii.“ (Contra Jul. II, 6.) Concupiscentia igitur ut instrumentum quasi quoddam erat, quo ipsi reatui obnoxios se esse sentiebant, ita eadem instrumentum erat, quo filii quoque eorum futurum erat, ut reatui implicati essent. „Haec igitur concupiscentia, quae solo sacramento regenerationis expiatur, peccati vinculum generatione traiecit in posteros.“ (de nupt. et conc. 23.) Actus igitur generationis per medium concupiscentiae peccatum originale in prole procreata vel potius inter generandam prolem perficit.^{a)} Veram esse hanc sententiam ex incarnatione quoque Domini nostri Jesu Christi probare studet (contra Jul. Pelag. V, 52): „Et hinc, inquit, apparet illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propaginem mali: quia Mariae corpus quamvis inde venerit, tamen eam non traiecit in corpus, quod non inde concepit.“ Itaque concupiscentia generationis momento quam maxime concitata peccatum originale in generatum transfunditur. Hoc autem expressis verbis contra Jul. Pel. V, 17 exponit: „Quid fugis ad obscurissimam de anima quaestionem? In paradiso quidem ab animo coepit elatio et ad praeceptum transgrediendum inde consensio, propter quod dictum est

z) Contra Jul. Pelag. VI, 5: „Delicta quis intelligit? Numquid ideo delicta non sunt? Ita et originale delictum, quod in parente regenerato remittitur et tamen transit in prolem et manet, nisi et ipsa regeneretur, quis intelligit? Numquid ideo non est delictum? Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.“ — a) Contra duas epist. Pel. I, 35: „Verum vos, ne vel ipsa concupiscentia carnis vitiata credatur et ex ea trahi originale peccatum, talem prorsus, qualis nunc est, in paradysum conamini revocare.“ De nupt. et conc. I, 27: „Ex hac carnis concupiscentia, quae licet in regeneratis iam non deputetur in peccatum, tamen naturae non accedit nisi de peccato, ex hac, inquam, concupiscentia carnis, tamquam filia peccati et quando illi ad turpia consentitur, etiam peccatorum matre multorum, quaecunque nascitur proles, originali est obligata peccato.“

a serpente: Eritis sicut dii; sed peccatum illud homo totus implevit. Tum est caro facta peccati, cuius vitia sanantur sola similitudine carnis peccati. Ut ergo et anima et caro pariter utrumque puniatur, nisi, quod nascitur, renascendo emundetur, profecto aut utrumque vitiatum ab homine trahitur, aut alterum in altero tamquam in vase vitiato corrumpitur, ubi occulta iustitia divinae legis includitur. Quid autem horum sit verum, libentius disco, quam dico, ne audeam dicere, quod nescio.“ Via igitur illi, qua primis parentibus reatus cum concupiscentia proprius factus est, contraria nobis proprius fit. In illis enim quum ab anima eiusque elatione initium sumpserit, indeque totum hominem, animam et corpus impleverit et imbuerit, in nobis ab infima parte, a corpore et concupiscentia procedit, indeque animam vase vitiato inclusam commaculat, aut, si generatianismo favere velis, utrumque, et corpus et anima reatu concupiscentiaque obruta, ipsa concupiscentia duce a parentibus trahitur. Una igitur cum semine, siquidem creatianismo addictus es, reatus infunditur, ita ut cum semine inenarrabili quodam modo coniunctus sit. b) Quoniam igitur semini peccatum adhaeret et semine, quum in id anima tamquam in vas contaminatum venerit, ipsa quoque contaminatur, quoniamque Adam, quum peccaret, totius generis futuri semen in se habebat, quo sensu omnes in Adamo peccasse recte dicantur, facile apparet. Hinc unice interpretanda sunt huiusmodi loca, quorum sensus sexcenties recurrit: „Adam peccavit et in illo peccavimus omnes,“ nec minus Augustini quidem sententia apostoli verba: „In quo omnes peccaverunt.“ c) Quaestionis nostrae in universum solutae una adhuc pars

b) Contra Jul. VI, 6 postquam ad eius quaestionem: „Quomodo peccatum personae illi iuste possit adscribi, quae nec voluit peccare nec potuit“ apostoli verbis: „In quo omnes peccaverunt“ (ad Rom. V, 12) respondit, Julianus: „Qui fieri potest, inquit, ut res arbitrii conditioni seminum misceatur?“ Verbis „res arbitrii“ hoc loco reatum intelligi luce clarius est; item „conditio seminis“ nihil aliud est, quam essendi modus, ut hac scholasticorum voce utar, ratio seu status seminis, semen demum ipsum est. Respondet ad Juliani quaestionem Augustinus: „Si fieri non posset, non esset, unde parvulos nondum de corpore egressos mortuos diceremus, quia, si Christus et pro ipsis mortuus est, ergo et ipsi mortui sunt, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.“ — c) De civ. dei XIII, 14: „Deus creavit hominem rectum — sed sponte depravatus iusteque damnatus depravatos damnatosque generavit. Omnes enim fuimus in illo uno, quando omnes ille unus fuimus, qui per feminam lapsus est in peccatum, quae de illo facta est ante peccatum. Nondum erat in nobis singillatim creata et distributa forma, in qua singuli nunc viveremus, sed iam natura erat seminalis, ex qua propagaremus. Qua scilicet propter peccatum vitiata et vinculo mortis districta iusteque damnata non alterius conditionis homo ex homine nascitur.“ De pecc. mer. et rem. III, 7: „Unde (sc. epist. ad Rom. V, 12)

solvenda est, quomodo scilicet homo baptismo regeneratus reatuque liberatus prolem peccato obrutam generare possit, d) ad quam quaestionem quae Augustinus respondit, ad superiora quoque illustranda haud parvi momenti sunt. Totum genus humanum in Adamo lapsum secundum corpus et animam regeneratione eget. Animae fit regeneratio baptismi sacramento suscipiendo, manente adhuc vetere homine peccati secundum corpus (in quo sedes est concupiscentiae) usque ad diem novissimum, quo die una cum rerum natura corpus quoque nostrum et regenerabitur et clarificabitur. Hae sententiae saepius apud Augustinum quum alibi tum in libris de pecc. mer. et rem. occurrunt. e) Iam homo quum generat, non quatenus regeneratus est, sed vetus homo generat; corpus enim generat et semine peccatum originale transmittitur; ergo peccatorem generat. De pecc. mer. et rem. II, 43: „Et innovati parentes, inquit, non ex primitiis novitatis, sed ex reliquiis vetustatis carnaliter gignunt et filii ex parentum reliqua vetustate toti vetusti et in peccati carne propagati. — Illud namque praecipue — attendere ac meminisse debemus, tantummodo peccatorum plenam perfectamque remissionem baptismo fieri; hominis vero ipsius qualitatem non totam continuo commutari, sed spirituales primitias in bene proficientibus de die in diem novitate crescente commutare in se, quod carnaliter vetus est, donec totum ita renovetur, ut animalis etiam infirmitas corporis ad firmitatem spiritualem incorruptionemque perveniat. f) Totam hanc quaestionem egregio exemplo illustrat ex rerum natura desumpto: „Sicut gignitur, inquit (de nupt. et conc. I, 19) ex oleastri semine oleaster et ex oleae semine non nisi oleaster, quum inter oleastrum et oleam plurimum distet; ita gignitur et de carne

non illud liquide dici potest, quod peccatum Adae etiam non peccantibus nocuit, quum scriptura dicat: In quo omnes peccaverunt. Nec sic dicuntur ista aliena peccata, tamquam omnino ad parvulos non pertineant, siquidem in Adam omnes tunc peccaverunt, quando in eius natura illa insita vi, qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt; sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias, sed quidquid erat in futuro propagine, vita unius hominis continebat. — d) Contra Jul. Pel. VI, 7: „Prior enim Pelagius de parentibus fidelibus dixit, non eos potuisse in posteros transmittere, quod ipsi minime habuerunt.“ — e) Cf. v. gr. de pecc. mer. et rem. II, 9 ubi de industria haec materia tractatur. — f) Cf. ibid. II, 11. ubi haec leguntur: „Frustra itaque nonnulli etiam illud argumentantur, ut dicant: Si peccator genuit peccatorem, ut parvulo eius reatus originalis peccati in baptismi acceptione solvatur, etiam iustus iustum gignere debuit. Quasi ex hoc quisque carnaliter gignat, quod iustus est et non ex hoc quod in membris eius concupiscentialiter movetur et ad usum propagandi lex peccati mentis lege convertitur.“

peccatoris et de carne iusti uterque peccator, quamvis inter peccatorem et iustum plurimum distet.“

Rectissime Augustinus peccati originalis propagationem inde deducere studet, quod omnes homines cum Adamo, quod ad corpus eorum attinet, cohaereant. In spiritibus enim puris, quum per se quisque et pro se subsistant, imitatione sane alter alterius reatui parem sibi comparare potest, haud tamen ipse alterius reatus alteri proprius fieri potest. Ut enim quae corpori propria sunt, corporis generatione traducuntur ac propagantur, ut propter generis coniunctionem, qua omnes cum prima stirpe cohaerent, quae primi hominis corpori propria fuerunt, et ultimi, qui nascetur, erunt, ita eandem ob causam diversa sane ratione animi quoque qualitates proprietatesque a parentibus in liberos transéunt. Hinc illud quidem vel per se patet, corporis mala, mortem, morbos, quatenus poenae peccati originalis et sequelae eius naturales sunt, una cum corpore propagato ipsa quoque propagari. At haud idem de ipso peccato, quippe quod concupiscentiam cum reatu coniunctam esse cognoverimus, asseri potest. Posset sane ista via concupiscentia propagari, si, ut reliquae res naturales vita sibi propria, sine qua nulla ne cogitari quidem potest, quaeque in altioris gradus rebus naturalibus anima est, ibique sensuum ope aliquam intelligendi sibi aut iucunda aut molesta vel appetendi vel fugiendi facultatem habet, praeditae sunt, ita hominis quoque corpus eadem vita seu anima, quae cum corpore ad communem naturae vitam pertinente ex eaque quasi profuente necessario data sit, praeditum esset. Ut enim in bestiis semine non mortuo, sed vivo non mortuae, sed vivae bestiolae propagantur et procreantur, quae propter ipsam vitam in illis ad animam evectam et se ipsas quiete, cibo potuque et genus suum generatione conservandi quum facultatem tum desiderium (concupiscentiam) habent, ita, si eadem vita cum corpore humano posita esset, in homine quoquo eodem modo desiderium illud seu concupiscentia propagaretur. Et revera Augustinus, si obiter eius scripta legis, quum saepissime de carne peccati, de carnis desideriiis cett. loquatur, concupiscentiam quo diximus modo carni seu corpori tribuere videtur. Itaque accuratius, quid ea de re senserit, inquiramus oportet. — Interdum tres hominis partes, corpus, animam et spiritum inter se discernere videtur. g) Aliis tamen innumeris locis ex duabus tantum partibus, corpore et anima hominem ait constare. h) Item pro anima spiritum homini tribuit eumque dicit ex

g) Cf. de an. et eius orig. IV, 2: „Natura certe tota hominis est spiritus, anima et corpus.“ cf. ibid. II, 2. — h) „Nihil est in homine, quod ad eius substantiam pertineat atque naturam

corpore et spiritu constare,ⁱ⁾ unde spiritum et animam idem esse patet, id quod ipse quoque (de an. et eius orig. II, 2) his verbis exponit: „Itane tu ignorabas, duo quaedam esse animam et spiritum secundum id, quod scriptum est: „Absolvisti a spiritu meo animam meam“ et utrumque ad naturam hominis pertinere, ut totus homo sit spiritus et anima et corpus, sed aliquando duo ista simul nomine animae nuncupari, quale est illud: „Et factus est homo in animam vivam,“ ibi quippe et spiritus intelligitur; itemque aliquando utrumque nomine spiritus dici, sicuti est: „Et inclinato capite tradidit spiritum“ ubi et anima necesse est intelligatur et utrumque unius esse substantiae?“ Cf. ibid. IV, 13. Itaque eadem in homine incorporea substantia quatenus corpori vitam tribuit eiusque muneribus fungitur, anima, quatenus in sui ipsius altioribus occupationibus versatur, spiritus vocatur,^{k)} et a bestiarum anima eo differt, quod, quum memoriam, sensum, appetitum haec quoque habeat, illa praeterea mente, intelligentia et libera voluntate praedita est.^{l)} Quum igitur anima sola corpori sine illa mortuo^{m)} omnem vitam et vigorem tribuat idque regat et moderetur, utri, corpori an animae potius concupiscentia insit, non iam quaeri potest. Ceterum animam concupiscentiae sedem esse, haud obscure ex his Augustini verbis patet: „Ego enim ab anima hoc corpus animari non puto, nisi intentione facientis, nec ab isto illam quidquam pati arbitror, sed facere de illo et in illo tamquam subiecto divinitus dominationi suae.“ (De musica VI, 5.) Apertis autem verbis idem asserit l. I. paulo infra: „Ut autem dominus eius (sc. deus animae dominus) magis est, quam ipsa, ita servus (corpus sc.) minus. Quare intenta in dominum intelligit aeterna eius et magis est, magisque est etiam ipse servus

praeter corpus et animam.“ Serm. 190. de verb. act. apost. 17. „Homo non est corpus solum vel anima sola, sed qui ex anima constat et corpore.“ de civ. dei XIII, 24. — i) „Homo enim constat ex corpore et spiritu.“ Serm. 128. de ev. Joh. 57. cf. de civ. dei XXI, 10. — k) „Itaque hoc loco animam non secundum id quod rationalis est, sed secundum id quod animans corpus animal facit, dixit.“ Ennarr. in ps. 105, 15. „Hoc autem ordine intelligitur a summa essentia speciem corpori per animam tribui, qua est in quantumcunque est. Per animam ergo corpus subsistit et eo ipso est, quo animatur, sive universaliter ut mundus, sive particulariter ut unumquodque animal intra mundum,“ de immort. an. cp. 15. „Spiritus autem hominis in scripturis dicitur ipsius animae potentia rationalis, qua distat a pecoribus et eis naturae lege dominatur.“ de gen. contra Manich. II, 8. — l) „Deus itaque summus et verus et animae irrationali dedit memoriam, sensum, appetitum, rationali autem insuper mentem, intelligentiam, voluntatem.“ de civ. dei V, 2. — m) „Quum subtrahitur (sc. anima) corpori, cadaver iacet; quum autem adest corpori, primo condit quodammodo putores. Corruptibilis est enim omnis caro, in putredines defluit, nisi quodam condimento animae teneatur. Sed hoc commune est illi cum pecoris anima.“ Tract. 8 in ev. Joh. 2.

in suo genere per illam. Neglecto autem domino intenta in servum carnali, qua ducitur, concupiscentia sentit motus suos, quos illi exhibet, et minus est, nec tamen tantum minus, quantum ipse servus, etiam quum maxime est in natura propria.“

— Quum igitur concupiscentia non propriae corpori vitae seu animae, sine qua corpus propagari non possit, sed corpore per se mortuo ipsi spiritui seu animae insit, corpore propagando non magis ipsa quoque propagari potest, quam intellectus hebetudo voluntatisque debilitas, quae aequae atque concupiscentia spirituales primi peccati sequelae sunt. Potest sane anima (inferiores praecipue eius vires, inter quas concupiscentiam inordinatam Augustinum referre cognovimus) negotiis corporis vacare; at quamvis maxime concitata et ad inferiora detracta sit, numquam tamen nec ipsa nec ulla eius virium cum corpore eiusque materia commiscetur. Patet igitur per solam corporis propagationem concupiscentiam propagari non posse. — Sed quae de concupiscentiae in anima sede ex Augustini scriptis attulimus, horum, quibus locis de peccato originali disserit, minus rationem habuisse et concupiscentiam aut omnino corpori tribuisse aut certe semen, quum ea pollutum sit, hanc labem novae animae tribuere putasse videtur. Alterutrum quum ex notione „concupiscentia carnis“ sexcenties occurrente, quae minime semper concupiscentiam in carnem directam, sed eam potius, qua caro infecta est, designat, sequatur, tum inde clarissime apparet, quod et (contra Jul. Pel. V, 52) de traicienda concupiscentia in novum corpus inde conceptum et (ibidem cp. 17) de utroque animo et corpore vitiato et de altero, quod in altero tamquam in vase vitiato corrumpatur, loquitur.

Sed ut haec missa facientes ad modum rationemque, quo reatus transeat, perveniamus, eum una cum concupiscentia dicit semini inhaerere et cum eo propagari aut concupiscentia una cum semine propagata reatum una cum anima nova ab alia traduci. Prior quidem iste reatus propagandi modus eo potissimum labefactari mihi quidem videtur, quod propter substantialem corporis et animae diversitatem ne facultates quidem proprietatesque alterius ad alterum pertinere possunt. At tantum abest, ut reatus certa animae qualitas vel facultas sit, ut sola certa ratio deum inter hominemque consistens sit, qua ex ratione quae animae corporique vere inesse dici possunt, solae poenae divinitus immissae sequelaeque naturales, ut virium debilitas corruptioque sunt. Accedit quod, si ita reatus originalis propagaretur, etiamtum in baptizatis quoque hominibus inesset nec baptismo tolleretur „totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet.“ (Conc. Trid. sess. V, can. 5.) Quum igitur animae facultates ac proprietates, nedum reatus,

cuius notionem propositam ipsius Augustini esse supra vidimus, cum corpore vel re materiali coniungi non possint, priore quidem modo peccatum originale propagari non potest. Alter vero modus cum refutato generatianismo vel traducianismo concidet; quae refutatio quum finem nobis propositum transcendat, illud hoc loco dixisse sufficiat, nullo tempore maiorem eorum virorum doctorum partem, qui substantialem inter corpus et animam diversitatem statuerunt, animarum generatianismo fuisse et nostra aetate eius fautores rarissimos esse. Sed ut recte se habeat hic animae propagandae modus, baptizati certe parentes, in quibus sublatum esse reatum modo vidimus, quem non habent, propagare non possunt. Quae vero Augustinum ad illam quaestionem, cur baptizati parentes prolem peccato onustam gignant, respondere vidimus, acuta illa quidem speciosaque sunt, sed sequelearum tantum peccati, non ipsius reatus propagationem probant.

Ad rectum reatus propagandi modum ita solum perveniri potest, ut homines non solum per se singulos spectandos esse statuamus, sed omnes unitatem, genus humanum, efficere, quod ut statuamus et sacra scriptura et philosophia et historia persuadent. Itaque Adam, qui solus tum genus humanum efficiebat, quum peccavit, non suae soli personae, sed generi humano peccavit, singulique homines, quotquot ad specialem vitam perveniunt, generis calamitati subiecti sunt. Id autem, si ita se habet, de propagatione reatus recte dicit Mayer (l. l. p. 81) sermonem esse iam non posse, sed illud tantum quaeri potest, utrum Adam decreto aliquo divino an ipso rerum ordine omnium, qui futuri erant, hominum in paradiso repraesentator fuerit. Ad hanc sententiam Augustinus facillime pro ea, quam de reatu in occultis dei legibus manente notionem habebat, pervenire potuisset; revera ea illi, quamvis ipse ignoraret, ob oculos versata esse videtur. Nam ut illa dicta: „Adam peccavit et in eo peccavimus omnes,“ „in ipso fuimus omnes“ cett., quae quid apud Augustinum valeant supra vidimus, a posterioris autem temporis viris doctis sensu modo exposito intellecta sunt, omittamus, pluribus locis supra sparsim laudatis Adami reatum et Christi meritum coniungit et utriusque ad nos transitum commemorat. Sicut Christi meritum eam solam ob causam omnium hominum proprium fieri poterat, quod genus omnes efficiunt et in genere alterius meriti ad alterum transitus fieri potest, ita eadem de causa Adami quoque debitum ad omnes pervenit. Ad hanc de Augustino suspicionem confirmandam haud scio an illud quoque afferri possit, quod nonnunquam (ut retract. I, 13) nostrum reatum in Adami voluntate originem habere dicit, ab omni quasi carnali eius propagandi modo respiciens. Maxime autem huc haec Christi et Adami inter se comparatio spectare videtur: „Sed

in causa duorum hominum, quorum per unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur a peccatis, per unum praecipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam, quorum ille nos in se perdidit faciendo voluntatem suam, non eius a quo factus est, iste nos in se salvos fecit, non faciendo voluntatem suam, sed eius a quo missus est, in horum ergo duorum hominum causa proprie fides christiana consistit. De pecc. orig. cp. 24.

Ad rectum tenens propagandi modum, hunc solum pervertit potest, ut homines non solum per se singulos, sed etiam per se totos, sed omnes naturam, genus humanum, elucet, quod ut statim et sine scriptura et philosophia et historia perambularet. Itaque Adam, qui solus tam genus humanum efflebat quam peccavit, non solum se, sed genus humanum peccavit, angulique homines, quod non ad speciem vitam pervertit, generis calamitatem subiecit sicut, id autem, si non se habet, de propagatione tenens recte dicitur et (L. I. p. 81) sermonem esse tam non posse, sed illud tantum potest, utrum Adam deo aliquid divino in ipso tenens ordine dominum, qui tunc erat, hominem in paradiso representantem fuerit, ad hanc sententiam Augustinus facillime pro eo, quam de recto in occulis dei legimus manente notione habebat, pervertit potest: tenens enim illi, dum ipse tenens ob oculos tenens esse videtur, tam ut illa dicitur: Adam peccavit et in eo peccatum omnes, in ipso homines omnes, celli, quae post ipsum Augustinum videtur supra videtur, a posterioribus autem temporibus vix deo tenens modo exposito intellectus sunt, omittimus. Quibus locis supra sparsim laudatis Adam tenens et Christi meritum coniungit et utitur ad nos tenens commo- nens, sicut Christi meritum cum solum ob causam omnium hominum propriam fieri potest, quod genus omnes efficiunt et in genere effectus meriti ad alterum tenens fieri potest, in eadem de causa Adam quod debent ad omnes pervertit. Ad hanc de Augustino sententiam comparandam hanc sicut in illud quod allegari potest, quod nonnullorum (ut tenens, L. 13) nostrum tenens in Adam voluntate est, quam habere dicit, ad omni quasi carnali eius propagandi modo respiciamus. Illi- que autem huc facit Chistal et Adam inter se comparatio spectare videtur: sed